



P E T R I A P O S T O L I V I T A,
I N Q U A P O T I S S I M U M
Describuntur ejus Patria, Mansiones, Itinera,
& Peregrinationes

E X
N O V O T E S T A M E N T O.

Petrus è Galilæa oriundus.

CUM Iesus in atrio Summi Pontificis multis injuriis afficitur, Petrus ab ancilla ostiaria, & à servis Ministris calefacientibus se aliquoties interrogatus numquid fuerit in horto cum Iesu Nazareno, & ex Discipulis ejus esset. Verè (inquit illi) & tu cum illo eras, nam & Galilæus es, & loqua tua manifestum te facit. Ex Matth. 26. vers. 69. Marc. 14. vers. 70. Luc. 22. vers. 59.

Petrus è civitate Bethsaïda.

II. Philippus quem Iesus obvium habuerat, & cui dixerat sequere me, erat à Bethsaïda civitate Andreæ & Petri. Ioan. 1. v. 43. 44.

Petrus innotuit Christo per fratrem suum Andream.

III. Cum semel, atque iterum Ioannes Baptista Christum vidisset, & Agnum Dei, qui tolleret peccata mundi, vocasset, eumque esse Filium Dei testatus esset: duo ejus Discipuli (Andreas & Ioannes Euangelista) Iesum fecuti sunt, & apud eum die illo manserunt, Ioan. 1. vers. 29... 39. erat autem Andreas frater Simonis, unus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & sequuti fuerant Christum. Invenit hic fratrem suum Simonem, & dicit ei: Invenimus Messiam i. Christum, & adduxit eum ad Iesum: Intuitus autem eum Iesus, dixit: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus (sive Petra.) Ioan. 1. v. 41. 42.

Petrus pescator fuit ut & Andreas.

IV. Ambulans Iesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres; Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes retia in mare, erant enim pescatores. Matth. 4. v. 18. Marc. 1. v. 16.

Petrus Homo sine literis, & Idiota.

V. Videntes (Principes Sacerdotum, & Se-

niores, & Scribæ) Petri (Christum palam prædicantis) constantiam, & Ioannis: comperto, quod homines essent sine literis, & Idiotæ, admirabantur & cognoscabant eos, quoniam cum Iesu fuerant. Act. 4. v. 13.

Petrus à Christo (ad audiendum sè) vocatus est, ut & Andreas.

Et ait illis: (Petro & Andreæ Iesus) Venite post me, & faciam vos pescatores hominum. At illi relictis rebus sequuti sunt Iesum. Matth. 4. vers. 19. 20. Marc. 1. v. 17. 18.

Petrus iterum vocatus est, post mirabilem piscium capturam.

Iesus è navicula Simonis turbas edocuerat, & postea jussicerat, ut Simon laxaret retia in altum: ille qui per totam noctem laborans nihil ceperat, in verbo Christi laxavit rete, & tantam cepit piscium multitudinem, ut Iacobus & Ioanne Zebedæi filiis, ex alia navi evocatis, ut adjuvarent se, ita impleverunt ambas naviculas, ut penè mergerentur: quod cum videret Simon Petrus procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine. Stupor enim circumderat eum, & omnes, qui cum illo erant in captura piscium. Similiter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere, ex hoc jam homines eris capiens, & subducetis in terram navibus relictis omnibus, secuti sunt Iesum. Luc. 5. vers. 3...13.

Petri socrus, in domo sua, Bethsaïde à Christo febri curatur.

Christus egressus è Synagoga Capharnai, VIII. in qua hominem à spiritu immundo liberaverat, venit in domum Simonis, & Andreæ, cum Iacobus & Ioanne: socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogaverunt illum pro ea. Iesus accedens elevavit eam, apprehensa manu, & dimisit eam febris; & surrexit, & ministerravit eis. Ex Matth. 8. vers. 14. 15. Marc. 1. vers. 29. 30. 31. Luc. 4. vers. 38. 39.

Pe-